

O R D O
AD DANDAM POENITENTIAM

Ex insigni Rituali Codice Membranaceo XI. Saeculi
Bibl. Canonicor. Reg. S. Salvatoris Bononiae

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITUS

Accedit Appendix aliorum Ordinum antiquorum.



R O M A E
T Y P I S L A Z Z A R I N I I S
· M D C C X C I .

P R A E S I D V M F A C V L T A T E

(III)

Eminentissimo, ac Reverendissimo Principi

GUILLELMO PALLOTTA

S. R. E. C A R D I N A L I,

ET S. CONGREGATIONIS CONCILII PRAEFECTO

D. V I N C E N T I U S G A R O F A L E

CANONICUS CONGR. RHENANAЕ SS. SALVATORIS

s. d.

P OEnitentialem venerandae antiquitatis ordinem ;
cui paucos pares habet Italia nostra , quiue Catho-
licam arcanae poenitentiae doctrinam adversus Dis-
sidentes illustrat , Nomini Tuo consecro , Vir Emi-
nentissime ! Habes in eo monumentum vetere illa ,

(IV)

ac sane rara integritate Tua , religione ; & mirifico
in rem omnem sacram amore plane dignum . Habes
grati , atque obsequentis animi mei significationem :
hominis nempe , quem & praeclaris beneficiis de-
vinxisti Tibi , & eo officii genere ornasti . quo , dum
sacris Eminentiae Tuae studiis nonnullam dat ope-
ram , suavissima sermonum sapientiaeque Tuae flo-
ret consuetudine . Ergo quod Te maxime decet : a
me vero praecipue debetur Tibi , aequi bonique ,
pro humanitate Tua , Cardinalis Amplissime , con-
sulito . Vale .

E Canonica S. Petri ad Vincula Postr. Kal. April. 1791.

ADMONITIO AD LECTOREM.

ORdinem, quem edo, descripsi Bononiae ex Rituall Codice XI. Saeculi, Bibliothecae nostrae S. Salvato-
ris. Is codex est, cuius divitias Trombellius in suis de Sa-
cramentis libris sparsit: pro quibus cum eo, quasi cum alte-
ro Edmundo Martene viri docti gratulati sunt (Vid. ejus Vitae
Commentar.) Laudatur ergo ab eo Codex soepissime. Lau-
datur item a cl. Zaccaria in bibl. Rituall tom. I. pag. 149.,
tum etiam a doctissimo Cardinali Borgia, qui ex eodem
Kalendarium luce plane dignum, Romae vulgavit
tom. II. Anecdotor. Litter. Jam vero Venetus codex dictus
ab Trombellio est, ab aliisque: interdum etiam ab illo Ve-
netus, vel Torcellanus. Ego vero quamquam Venetum dici
posse ajo ob communes ritus apud Venetam Ecclesiam, Tor-
cellanamque servatos (vid. Flam. Cornelium-mox laudandum
in praef.) ; statuerim tamen ad hujus Ecclesiae Clericos, seu
Canonicos proprie pertinuisse. De Ecclesia suspicionem in-
jecit Trombellius ipse; auxit deinde auctoritas P. Bernardi a
Venetiis, qui Chardonii historiam Sacramentorum italicae
donavit linguae, illustravitque. Is enim extremo capite Sa-
cramenti poen. , nulla interposita dubitatione, asserit: ad
Torcellanam Ecclesiam Ordinem nostrum pertinuisse: vide-
rat enim, opinor, illum, Trombellii beneficio. Tandem ut id
statuerem, fecit Litaniarum h. Cod. comparatio cum Menolo-
gio Torcellano a Flaminio Cornelio edito ad calcem monumen-
torum Ecclesiae Torcellanae. Nam in utroque monumento
iidem memorantur Sancti, qui proprie hanc Ecclesiam at-
tingunt. Quod de Clericis seu Canonicis injeci, perspicue
demonstrant tum argumenta, quae Etius Borgia attulit Le-
ctorem monens: tum etiam Ordo ad dardam Clericis poe-
nitentiam, qui in hac editione laicalem Ordinem consequi-
tur. Consule generalem peccatorum accusationem, quam
facit Clericus, ex qua etiam facile assequeris regulam Ca-
nonicam, uti ajunt, eos Clericos professos esse. Quod
vero ad Saeculum XI. pertineat Ordo noster, multis duo lau-

(VI)

dati auctores demonstrarunt, & ex notis musicis nitide intel-
 ligitur, quatum specimen suo loco exhibemus. Ergo, ne
 actum agam, non id nunc ego persequar. Unum tamen praete-
 rire non possum: nempe *procul dubio jam pridem compositum,*
 & a fidelibus usurpatum fuisse hunc Ritualem librum: quod
 Tromb. ipse affirmat in Ord. Off. Eccl. Sen. pag. 488., de-
 monstrat vero tom. II. extr. unct. pag. 127. De praestantia
 codicis hoc breve dicam, quod memorabile est: P. Castella-
 num, & Cardinalem Sanctorium; hunc in Rituali, quod
 vulgo Romanum dictum est, elaborando: illum in Sacer-
 dotali Romano adormando (duos omnium iudicio, nobilissi-
 mos libros) rituali nostro usos, magnam rituum atque adeo
 verborum partem in rem quemque suam transtulisse. Vid-
 soepe memorati Trombellii tom. II. extr. unct. pagg. 140.
 400. &c. Nunc de ipso Ordine quid tandem admonebo? Sa-
 cramentalis ille confessionis methodum tibi offert distributae
 ac nitide, ut non ita facile parem habeas in aliis ordinibus,
 qui ad Italiae Ecclesias pertinuerunt: id, quod de Ordine
 ad dandam Clericis poen. in primis dictum volo. Ceterum
 non parum conspirat noster Ordo cum Romano antiquissi-
 mo, cumque Egberti poenitentiali. Valde etiam similis est
 poenitentiali Bobiensi, quem e duobus antiquis mss. Mura-
 torius consarcinavit; cui Viro magno, antiquitatis helluo-
 ni, majorem gratiam haberemus, si duo haec monumenta
 fortasse vetustate imparia: quaeque conferri magis, quam
 permisceri volebant, distincte edidisset. Ast id obiter.
 Confer etiam, si libet, nostrum Ordinem cum Barensi illo a
 Catalano edito tom. III. Comment. in Pontit. Rom., imo
 cum quotquot editis nobilioribus: conjicies tute ipse, me-
 tacente, quid de nostri praestantia tenendum sit. Declara-
 bunt id etiam adnotaciones interdum, quas, ut magis expe-
 dire visum est, suis locis accommodavi. Eas dare, difficile
 non mihi accidit in tanta, qua abundat Bibliotheca nostra,
 librorum copia, delectuque, singulari prorsus cl. Monsa-
 cratii Praesulis nostri Generalis beneficio. Minuta quaeque
 persequi nec licuit, nec libuit. Leves errores ortographiae,
 in quos incidi, emendavi, ne fastidium crearet lectio: nam-

(VII)

que scriptionis genus , pro more ejus saeculi , barbarum non nihil est , atque interdum asperum . Sic *dampnare* pro *damnare* ; *set* pro *sed* ; *aud* pro *aut* . Redundant etiam manifeste in codice nonnullae voces : has dispunxi . Compactae aliae sunt , quae dividenda : has ego divisi . Si quae tamen graviora menda sunt , Lectoribus subjicio ; atque haec erant de ordine nostro praemonenda . Appendix sequitur . Habes in ea Othmari ad discipulos allocutionem ; est enim lectu digna . Hanc verbatim , uti jacet , descripsi ex historia poen. publ. P. Geraldi Zurcher . Devixit Othmarus anno DCCLX . Habes deinde poenitentialem Ordinem desumptum ex prae nobili Codice Veliterno ined . Sacc . XI. , quem S. Petrus Damiani ejus urbis Episcopus e Cassinensi Monasterio allatum primariae ejusdem urbis Ecclesiae dono reliquit . Debeo hujus rei notitiam , Ordinemque ipsum Eñno Cardinali Borgia , qui litteratissimus ipse quum sit , litteras , & bona omnia studia fovet , atque ornat . Tandem habes ejusdem saeculi Farfensem Ordinem , praestantem & ipsum , atque hactenus ineditum , quem humanissime mihi cl . Amadutius communicavit . Eos edere visum est , servata ea ratione ortographiae , quam qui e codicibus descripsere , retinendam existimarunt . His utere Lector benevole , & Vale .



(VIII)

Mediator Dei, & Hominum Christus Jesus, quo plenius in nos misericordiae suae divitias effunderet, figmentum nostrum miseratus, ad reparandos eos, qui a Baptisni gratia quandocumque excidissent, tradita Ecclesiae Praepositis potestate remittendi, ac retineundi peccata, Sacramentum Poenitentiae instituit; cuius vi, & efficacia, qui ad id accederent rite dispositi, ac peccata confessi, per Sacerdotis absolutionem peccatorum veniam consequerentur. Constans haec fuit de hoc insigni Christi beneficio, & ab Apostolicis usque ducta temporibus perpetua Ecclesiae praedicatio. PIUS VI. P. M. in Litt. Apostol. *Mediator Dei,* & hom. co. Eyb. &c. anno MDCCCLXXXIV.

I M P R I M A T U R,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sac. Palatii Apostolici,
F. X. Archicp. Larisi., ac Viceg.

I M P R I M A T U R.

Fr. Th. Maria Manachius Ord. Prad. Sac. Palatii Apostolici Magister,

(1)
INCIPIT ORDO (1)

AD DANDAM POENITENTIAM

Quando venerit poenitens ad Sacerdotem , clauso ostio Ecclesiae , dicat ei , ut prosternat se in oratione foris atrio (2) ; & Sacerdos incipiat Tertiam , & finiat cum oratione sua secundum ordinem . Postea jactet se Sacerdos ante altare in secreto , & dicat : „ Pater noster . & ne nos .

„ Cap. Proba me , Domine , & tenta me .

„ Ure renes meos , & cor meum .

„ Non veniat mihi pes superbiae .

„ Et manus peccatorum non moveat me .

„ Muro tuo inexpugnabili circumeinge me .

„ Et armis tuae potentiae protege me semper , Deus
meus .

„ Ne perdas me , Domine , cum insquitatibus meis .

„ Neque in finem iratus reserves mihi mala mea .

„ Pone , Domine , custodiam ori meo .

„ Et ostium circumstantiae labiis meis .

„ Ut non declinet cor meum in verba militiae .

„ Ad excusandas excusationes in peccatis .

„ Exurge Domine : adjuva me .

„ Et libera me propter nomen tuum .

„ Oratio . Domine Deus omnipotens , propitius esto mihi peccatori , ut condigne possim tibi gratias agere : quia
„ me indignum propter tuam misericordiam ministrum fe-
„ cisti officii Sacerdotalis : & me exiguum , humilemque
„ Sacerdotem mediatorem constituisti ad orandum , & in-
„ tercedendum ad Dominum Jesum Christum pro peccan-
„ tibus & ad poenitentiam revertentibus . Dominator Do-
„ mine , qui omnes vis salvos fieri , & ad agnitionem ve-
„ ritatis venire : qui non vis mortem peccatoris , sed ut



(1) Ratio , modus poenitentiae Sacramentum administrandi .

(2) En flentem , fere acutum si esset de solemní antiquiore canonica poenitentia , quac sacculo Ecclesiae VII. emolliri coepit .

„ convertatur , & vivat ; suscipe orationem meam , quam
 „ fundo ante conspectum clementiae tuae pro famulo tuo
 „ (pro famulis tuis) vel pro famula (vel pro famulabus
 „ tuis) quae (qui) ad poenitentiam venit (veniunt) : tri-
 „ bue ei (eis) , quaeso , remissionem omnium peccato-
 „ rum . Per . (1) ,

Deinde Sacerdos accipiat poenitentem emendationem
 vitiorum suorum promittentem per manum dextram : &
 ducat eum ante Altare , si est Presbyter , aut Monachus , aut
 Clericus . Si vero est Laicus , vel femina , stet ante atrium ,
 & interroget eum , si jam confessus fuit , & si illam confes-
 sionem bene observavit (2) . Si autem dixerit : bene obser-
 vavi , dicat Presbyter : Deo gratias . Si vero dixerit : non
 totam observavi , promittat emendationem exinde . Inde
 perquirat , si est debitor alicui homini : & si est , promittat
 reddere , quod debet . Et si cum fratribus vel sororibus iram ,
 vel odium habet , faciat ei promittere , ut dimittat omnem
 iram , & inimicitiam ex corde . Si non vult dimittere (3) , non
 suscipiat eum . Si autem omniibus pepercit , qui sibi of-
 fensi sunt , suscipiat eum ita interrogando : = Interrog . Fili ,
 vel Soror , vis agere veram poenitentiam , & convertere te
 de malo ad bonum ? Resp . Volo . Interr . Abrenuncias Satha-
 nae operibus , & omnibus pompis ejus ? Resp . Abrenuncio .

(1) Hanc precandi formulam eamdem esse video atque illam ex an-
 tiquitate sacra desumptam , propositamque Sacerdotibus ad recitan-
 dum a S. Carolo Borromeo in sua ad Confessarios Instructione . Au-
 reus hic liber Clero quoque Romano tamquam coelsti sapientia plenus
 propositus est . Utinam cum sociis Confessarii in manibus haberent !
 ajebat Bened . XIV . Vid . Tomo III . Bull . pag . 126 .

(2) Annon haec interrogatio respondet illi , qua hodiernum Ritua-
 le Rom . jubet : primum omnium a poenitente exquiri , quam pridem
 confessus sit ?

(3) In Ordine ad dandam poenitentiam ante extremam unctionem
 desumpto ex hoc ipso Codice , editoque a Trombellio Tom . II . extr.
 unct . additur hoc loci *salva sua lege* : quae voces occurruunt in antiquis
 aliis poenitentialibus . Jam sic eas noster editor explicavit : „ respicit
 „ ad leges , quae ex remoto Septemtrione in Italiam delatae in alie-
 „ quibus locis vigebant : quibus praescribebatur , ut taxata cuilibet
 „ iniuriac quantitas pecuniae pro ejus dimissione solvetetur .

Interr. Vis dimittere omnibus , qui in te peccaverant , ut Deus omnipotens dimittat tibi omnia peccata tua ? *Resp.* Volo . *Interr.* Credis in Deum Patrem , Filium , & Spiritum Sanctum ? *Resp.* Credo . *Interr.* Credis , quod istae tres Personae Pater , Filius , & Spiritus Sanctus tres personae sunt , & unus Deus ? *Resp.* Credo . *Interr.* Credis , quod in eadem carne , in qua vivis , in ipsa resurgentus eris in die judicii , & recipere sive bonum , sive malum , quod egisti ? *Resp.* Credo *Interr.* In Deum , & in sanctam resurrectionem credis ? *Resp.* Credo . *Interr.* Credis in Baptismum ? *Resp.* Credo . Dic mihi modo orationem Dominicam , & Symbolum (1) . *Interr.* Vis peccata , quae commisisti a die nativitatis tuae usque modo manifestare coram Deo omnipotente , & me indigno famulo suo ? *Resp.* Volo . Tunc faciat eum dicere tribus vicibus : In manus tuas , Domine , commendando Spiritum meum . =

Postea suscipiat eum Sacerdos in suas manus , & dicat hunc versum : „ Suscepimus Deus misericordiam tuam in medium templi tui . Secundum nomen tuum Deus , ita & laus tua in fines terrae: justitia plena est dextera tua , „ Et dicat : „ Dominus custodiat te ab omni malo : custodiat animam tuam Dominus . Dominus custodiat introitum tuum , & exitum tuum ex hoc , nunc , & usque in saeculum . Gloria Patri &c. Kyrie eleison &c. (sequuntur Litaniae) (2) . Tunc prosternat se poenitens in terra : & dicat poenitens hos psalmos : „ Domine , ne in ira tua argucas me , neque in furore tuo corripias me &c. (3) Pater noster . Cap. Salvum fac servum tuum (ancillam tuam) &c.

(1) Qui haec seorsim a praemissis , ac consequentibus legeret , de baptizando plane agi reputaret . Ita . Namque homo lapsus post baptismum fluminis pristinam integritatem recuperare nequit absque laborioso alio baptismo , ut loquuntur Patres .

(2) Abstinemus ab his Litanis edendis ; dedit enim eas Trombelius in auctario Tomi III. de Sacram. extr. unct. , quo loci antiquas alias subnectit , atque opportune illustrat .

(3) Omissimus hunc , & sequentes psalmos brevitatis gratia ; monemus tamen , paullo aliter in codice nostro scriptos , quam in vulgato textu ; sed ut plurimum manifeste errat codex noster .

„Oratio. (1) Domine Deus omnipotens, qui offensione
 „nostra non vinceris, sed satisfactione placaris, respice
 „quaesumus, super hunc famulum tuum (famulam tuam)
 „Ill (2), qui se tibi peccasse graviter confitetur. Tuum est,
 „Domine, absolutionem criminum dare, & veniam laxare
 „peccantibus: qui dixisti poenitentiam te magis velle,
 „quam mortem. Concede ergo huic fainulo tuo, ut poe-
 „nitentiae tibi excubias celebret, & correctis actibus, ad
 „diem judicii cum fructu poenitentiae pervenire merea-
 „tur. Per. Ps. Miserere mei Deus (usque ad vers. Cor.
 „mundum crea in me Deus.) Pater. Cap. Salvum fac.

„Oratio. Deus, cujus indulgentia nemo est, qui non
 „indigeat, memento famuli tui Ill., qui lubricam terreni
 „corporis fragilitatem diligens gratiam tua est nudatus; quae-
 „sumus, ut des veniam confitenti: parce supplici tuo; ut
 „qui suis meritis accusatur, tua miseratione salvetur. Per.
 „Ps. Deus in nomine tuo &c. Pater. Cap. Salvum fac.

„Orat. Deus, sub cuius oculis omne cor trepidat, &
 „nullae conscientiae non pavescunt, propitiare omnium
 „gemitibus, & cunctorum medere vulneribus, ut sicut ne-
 „mo nostrum liber est a culpa, ita nemo sit alienus a ve-

(1) Tum haec oratio, tum consequentes fere omnes locum habent In Sacramentario Gelasiano Ven. Thounassi, in Sacram. Gregoriano Menardi, in antiquo Ordine Romano Mabillonii. Communes etiam sunt aliis Ordinibus in quibus tamen, quemadmodum in nostro, paulo perturbate, & cum nonnullo discrimine passim leguntur. Sed perturbatio haec ipsa venerandae antiquitatis imaginem spirat. Neque enim vetustis temporibus liturgicae res ad perpolitam eam formam redactae erant, quam sequioribus saeculis obtinuerunt. Vid. Ballerin. an praef. ad Sacram. Leonis pag. X. Iuterea unum praemoneo: hisce orationibus Sacerdotem poenitentem adprecari a Deo poenitendi gratiam, bis delictorum veniam, nuptialis vestis restitutionem, dimissionem poenae aeternae, perseverandi gratiam, absolutionem. Ast supplandi lex, credendi lex est. En igitur dilucide propositam tibi effectuum hujus Sacramenti fidem.

(2) Notum est, Ill. indicare nomen ponendum, idemque valere, quod nunc N. Hanc litteram N. loco proprii nominis Menardus ad Sacram. S. Greg. paulo ante annum M. ponit coepisse putat. Mabillonius ante annos octingentos. Annon vel haec ipsa minurula observatio antiquitatem codicis, ex quo poster descriptus est, confirmaverit?

(5)

„ nia . Per. Psalm. Miserere mei , Déus , miserere mei &c.
„ quoniam in te confidit anima mea &c. Pater. Cap. Sal-
„ vum fac .

„ Orat. Majestatem tuam , Domine , supplices depre-
„ camur, ut famulum tuum (famulam tuam) Ill. longo lan-
„ guore poenitentiae maceratum , miserationis tuae veniam
„ largiri dignatus es : ut nuptiali ueste recepta ; ad regalem
„ mensam , unde ejectus fuerat , mereatur intrare . Per. (1)
„ Psalmus . Deus misereatur nostri , & benedicat nos &c.
„ Pater . Cap. Salvum fac .

Orat. Petimus , Domine Deus noster , conditor coeli ;
„ & terrae , ut hilari vultu respicere digneris super hunc
„ famulum tuum , & omne vinculum peccatorum laxare ei
„ jubeas , quem (quam) hodie ad medicamentum poeni-
„ tentiae pervenire fecisti . Da ei , Domine , humilitatem
„ perfectam , mansuetudinem quietam , caritatem fraterni-
„ tatis , tolerantiam corporis : fac , eum relinquere omnem
„ concupiscentiam hujus saeculi , tibique soli Domino pu-
„ ra mente & devoto corde servire jubeas , quia tu dixisti :
„ nolo mortem peccatoris , sed ut convertatur & vivat .
„ Libera , Domine , animam famuli tui a judicio gehennæ
„ ignis , & a laqueo diaboli : mitte Angelum tuum pro-
„ tectorum , qui eum custodiat omnibus diebus* vitae suæ .
„ Per . Psalm. Domine Deus in adjutorium meum intere-
„ de &c. Pater . Cap. Salvum fac .

(1) Primum omnium emendanda est haec oratio ex aliis Ordinibus
in vulgus editis , qui passim habent : *famulo tuo . . . macerato . . . Largi-
ri digneris* . Deinde monendum , ab antiquo tempore dici eamdem
consuéuisse , quum post exactum publicae poenitentiae stadium , po-
strema impositione manuum fideles reconciliabantur . Tandem , falli
Morinum , qui in ea prece Sacramentalem poenitentis moribundi re-
conciliationem stabilivit , tamquam a majoribus usurpatam . Usurpa-
runt certe illi , sed pro Canonica reconciliatione & publica , non Sa-
cramentali & privata: quo factum est , ut eadē Diaconi ipsi usi sint ,
a quibus moribundi poenitentes Sacramentaliter absolvī nec debe-
bant , nec poterant . De Morino errante vide Edmundum Simonne-
tum artic .IV. Disput. de forma Sacram. poen. De Diaconis absolvean-
tibus vide Bened .XIV. de Syn. Dioces . lib .VII. cap .xvii

„ Orat. Deus justorum gloria , & misericordia peccato-
 „ rum . da huic famulo tuo (famulae tuae) illi plenam indul-
 „ gentiae veniam : poenitentiae locum exoratus indulge ;
 „ ut qui peccata praeterita deplorat , futura mala non sen-
 „ tiat , neque ulterius lugenda committat . Dimitte ei , Do-
 „ mine , omnia crimina & in semitis eum justitiae placatus
 „ restaura : ut securus mereatur deinceps inter justos & bo-
 „ nos currere , & ad aeternae vitae praemia pervenire .
 „ Per . Psalm. Benedic anima mea Dominum : & omnia in-
 „ teriora mea nomen sanctum ejus &c. Pater . Cap Sal-
 „ vum .

„ Orat. Omnipotens sempiterne Deus , qui peccatorum
 „ indulgentiam in confessione celeri (1) posuisti : succurre
 „ lapsae (lapsae), miserere confessi (confessae) ; ut quem
 „ (quam) delictorum catena constringit , magnitudo pie-
 „ tatis absolvat . „

Tunc surgat poenitens (2), praedicetque ei Sacerdos his
 verbis : Pius Dominus & misericors per prophetam nos ex-
 hortatur ad poenitentiam , dicens : convertimini ad me in
 toto corde vestro , in jejunio , & fletu , & planctu , quia no-
 lo mortem peccatoris , sed ut convertatur , & vivat ; & ite-

(1) In confessione celeri legit Sacramentarium Gelasianum : legunt
 & passim poenitentiales Ordines . Jam vero celer confessio est prom-
 pra , parata , devota , inquit Menardus , non invita & coacta . Recte
 ille . Sed an legerendum sceleris ? Ita plane in antiquissimo Theodori
 cap. XIII. ex editione Petiti ; atque ita prius in primigeniis codici-
 bus lectum fuisse suspicor . Non tamen dissimilatio , rite a S. Carolo ,
 cum coequi a Theologis praecipi , ut confessio accelerata sit .

(2) Innuit heic Ordo , stetisse antiquitus poenitentes , quum a Sacerdoti-
 bus monerebantur , aut quum de peccatis sese dcinde accusarent . Plerumque
 tamen Sacerdotibus assidebant , quemadmodum antiquus Romanus
 Ordo demonstrat , & poenitentiales libri in vulgus editi . Idem nunc in
 more apud Graecos positum est . Quamquam veteres illi soepius non
 in scaanno , aut sella , sed humi assidebant habitu corporis humili , &
 lacrymabili . Monachi & ipsi sedebarunt ; id enim productior confes-
 sionis . Ordo postulare videbatur . Pueri stabant , quod breviusculae eo-
 rum confessiones solebant esse . Ceterum omnes humi strati poeniten-
 tiem petebant , itaque etiam impositioni manutin subiciebantur quo
 fortasse nota illa calumni . Ethniciorum nota est a Minatio Felice in
 Octavio memoriae prodita .

rum dicit : Peccator in quacumque hora conversus fuerit , & ingemuerit , omnia peccata ejus in oblivious erunt coram me . Non recusemus ergo in hoc saeculo poenitentiam agere , ut possimus , Deo auxiliante , inferni poenas evadere , & ad aeternam beatitudinem pervenire . Crede ergo , beatissime frater (soror) in Deum Patrem omnipotentem , & in Filium ejus Dominum nostrum , & in Spiritum Sanctum ab utroque procedentem , unum Deum in Trinitate , & Trinitatem in Unitate : & dilige eum ex toto corde , & ex tota mente , & ex tota virtute (1) , & proximum tuum sicut te ipsum . Convenit te , frater (soror) , qui in sancto baptismo mundatus es , & mandata Dei promisisti custodire , ut declines ab omni opere malo , & festines in omni opere bono perseverare ; quia nescis , quamdiu in hac vita misera , brevi , & caduca , fragili , & temporali , quae est plena scandalo , ruina , & omni iniquitate manere debeas . Quid prodest hic uti temporalibus bonis , & in futuro sempiternis gaudiis carere , & aeternis flammis in aeterno cruciari ? Ideo precor , & moneo te , si quo modo fuisti cupidus , aut avarus , & aliena malo ordine tollebas , & ut tua iniuste retinebas , deinceps sis in elemosinis largus (larga) pauperibus , viduis , & orphanis bene faciendo pro peccatis tuis , & omnium Christianorum , Missas pro Deo offerendo ; ut quidquid per cupiditatem , aut avaritiam peccasti , a Deo tibi dimittatur (2) .

(1) Quam bene hujus cedro dignae monitionis tenore comprehendunt *dispositiones* , quas vocant , ad poenitentiae Sacramentum conferendas , ut justificationem impetreremus ! Expressum fere heic habes caput vi. "sess. VI." Concilii Tridentini . Notari prae ceteris merentur eae voces : *dilige eum ex toto corde &c.* , quae quidem placebunt , opinor , mirifice amoris initialis propugnatoribus .

(2) Bene est . Redemptionum medio aeo usitatarum reprehensores , elemosinas indicias heic legent pauperibus , viduis , orphanis profunduras . Neque vero Muratorius haberet hoc loco , quod pungere stilo illo suo : vir certe magnus ; sed , nescio quo fatu , non ita semper , ut decebat , erga Ecclesiam sanctam bene animatus . Eum ut nunc memorem , facit dissertatio LXVIII . antiq. ital. med. aevi , tom. V. , in qua minutiora persequens , & diligentiam scribendi in indiligente antiquitate , quam barbaram non injuria appellat , confingens , fastidiose riuitatur ; an in vetustis poenitentialibus *primum servis* Dei (Cle-

Si ebriosus , vel gulosus fuisti , modo sobrius sis , & abstinen-
s , & parcus in cibo & potu : ut caro sit laeta , & quae
per (1) superfluitatem te traxit ad culpam , eadem afflita re-
duceat ad veniam . Si fornicator (fornicatrix) , vel luxuriosus
(luxuriosa) , aut adulter (adultera) fuisti ; sis purus , &
castus , & continens , quia Apostolus dicit : fugite fornicationem . Omne peccatum quodcumque fecerit homo , extra
corpus est : qui autem fornicatur , in corpus suum peccat .
Et in alio loco ait : Omnibus peccatis fornicatio major est :
fornicatio antecedit omnia mala . Si fuisti iracundus , sis pa-
tiens , quia Dominus ait : Beati pacifici , quoniam filii Dei
vocabuntur . Si fuisti tristis pro temporalibus damnis , adqui-
re coelestia gaudia sine fine manentia . Si fuisti otiosus , &
piger in Dei servitio , & negligens , modo sis studiosus , &
festinus , & perseverans in bono , quia scriptum est : otio-
sitas inimica est animae . Si superbus , & arrogans fuisti ,
operante maligno , nunc humilis & quietus sis , quia Salva-
tor ait: qui se humiliat , exaltabitur : & qui se exaltat , humiliabitur . Si fuisti detractor , & maledicus , modo quietus , &
benignus sis , bonorum operum annunciator , & malorum re-
futator . Si in verbis otiosis , & malis cogitationibus retro in-
tentus fuisti , dehinc in eloquiis puris , & mundis meditatio-
nibus sis intentus & perseverans , quia Dominus dicit : de
omni verbo otioso , quod locuti homines fuerint , reddent de
eo rationem in die judicii . Nolite jurare neque per coelum ,
neque per terram , neque per caput tuum . Sit sermo vester :
est : non , non ; quod autem his abundantius est , a ma-
jor est . Noli dicere mendacium , quia peccatum est . Scri-
ptum est : os , quod mentitur , occidit animam . Fuge inhono-
sta verba . Vanus sermo cito polluit mentem . Multiloquium
noli amare , quia scriptum est : in multiloquio non effugies

ricos , & Monachos subaudi) , & sacro Altari ; deinde pauperibus
consultum sit : quasi ex hoc jussarum eleemosinarum ordine non be-
ne sibi viso invidiam poenitentialibus ipsis creaturus . Vellem , ne
quid gravius cicami , non ita magnus in rebus parvis exsticisset ille :
quod peccatum acriter aliis succensebat in suo libro *del buon gusto*
(1) Adjeci particulas , & per oscitauer omittimus in nostro codice ?

peccatum ; et : Vir linguosus non dirigetur super terram ; & iterum : Mors , & vits in manibus linguae . Decimas tuas ex omnibus tuis rebus da Deo , quia Deus pro debito illas requirit abs te . Patrem tuum , & Matrem tuam diligē , & honora , & noli illos male dicere , & ad iracundiam provocare ; quia Dominus dixit : qui maledixerit Patri , vel Matri , morte moriatur . Et rursus : honora Patrem tuum , & Matrem tuam , ut sis longaeus super terram . Servis , vel ancillis tuis misericordiam impende , quia & tu Dominum habes in coelis : & qualem cupis erga te esse Dominum , talis esto & ipse contra (1) servum , vel ancillam tuam . Modo , karissime frater (soror) precor te , & admoneo , dum tempus habes , & satus eris , ut festines praeterita peccata tua jam emendare , cōvere praesentia , futura non admittere : & quidquid contra Dei praecepta , suadente diabolo , fecisti , desfleas & emendes per veram poenitentiam , & ulterius peccare timeas , & in omnibus bonis operibus perseveres , ut poenas inferni valeas evadere , & coelestia regna , auxiliante Deo , possidere . Quod ipse praestare dignet = .

Admonitio pauperis (2) . = Tu itaque , frater , qui pauper es , et labore manuum tuarum vivis , in cunctis tuis adversitatibus Deum collauda , & gratias age ; quoniam per multas tribulationes , ut Paulus ait , oportet nos intrare in regnum Dei . Non dicas , felices esse divites propter divitiarum copiam , & te miserum propter inopiam , quia non inopia , sed peccata faciunt infelicitate animam miseram . Noli dicere : quid faciam ? furtum faciam , quia unde vivam non habeo . Attende quid dicat Psalmista : Divites egerrunt & esurierunt ; inquirentes autem Dominum non deficient omni bono : sunt enim divitiae spirituales , quas non possunt habere superbi divites : quibus abundant pauperes humiles . Non dicas : ille dives est : ego pauper sum : ille tanta mala fecit , & dives est ; quoniam si consideraveris

(1) Scilicet erga :

(2) Pertinet ad pauperes admonitio isthaec: ad divites superior . Nam commode in duplice hanc classem universum poenitentium genus dispergitur .

tuas & illius divitias , invenies tuas esse meliores , quam illius ; fidei namque , spei , & caritatis divitiae cunctis temporalibus jure praefreruntur copiis . Melius est de temporali fame ad aeternam satietatem transire , quam de transitoria satietate ad inopiam perpetuae famis migrare . Ille , qui dives est in omnibus , concedat vobis de temporali inopia ad felicem refectionem venire , ipso adjuvante , qui vivit &c. =

Finita praedicatione , interroget eum Sacerdos : = Fili (filia) modo manifesta mihi (1) : dic coram Deo , & Sanctis suis peccata tua , quae fecisti , aut cogitasti ; non enim mihi confessus eris , sed Deo omnipotenti , qui ubique est . Ideo noli erubescere mihi confiteri peccata tua ; quia si modo absconde non vis confiteri , in die judicii , ante tribunal summi judicis erunt manifesta ante omnes Angelos , & Santos Dei , & ante omne genus humatum , quod ab initio fuit , & erit usque in diem illum . Si vero modo erubescis , dum tempus habes , peccatum tuum manifestare , post mortem nec tu , nec ullus peccatum suum poterit confiteri ; quia scriptum est : Nemo in inferno confitebitur Domino (2) . = Postquam poenitens confessus pecca-

(1) En Confessio non soli Deo facta , verum etiam Sacerdoti . En peccata cogitationis subdita judicio , atque , ut dicere consuevimus , Ecclesiae clavibus . En secretae Confessionis modus & necessitas testatissima . Ergo saeculo XI. divina istius Sacramenti praeceptio per manus antiquitatis , consensionis , atque universitatis Catholicorum ad nos usque traducta , fideliter custodiebatur . Pudeat ergo Dissidentes , qui lucem , quam vetera in monumenta spargunt , repudiantes , confessionis institutionem Innocentio III. attribuunt . Nos vero non oculum ut credentes , sed ut ne amentes simus ; firmiter teneamus : hunc Pontificem in Conc. Later. IV. priscæ confessionis tempora , conditionesque fixisse ; ne , moribus decadentibus , neglecta jaceret ac propemodum interiret . Vid. Conc. Trid. sess. XIV. cap. v. de confess. , & SS. D. N. PII P. VI. Lit. Apost. co. Eybel. incip. *Mediator Dei* G. hom. an. MDCCLXXXIV.

(2) Hac extremi judicij comparatione passim poenitentiales libertutuntur : passim & Patres usi sunt , in primisque Joh. Chrysostomus . Improbuli tamen ex nostratibus quidam honestissima Philosophiae nomine abutentes , pudorem Confessione extingui lamentantur . Acritores hac de re Haereticorum querelae sunt . Ast Ecclesiae Christi namque hic timor insedit . Tenet ipsa : improbitatem expaltricem pugna-

tum suum fuerit , iterum Sacerdos dicat illi : ' = Reddis te , frater (soror) culpabilem de omnibus istis peccatis , quae hic mihi coram Deo manifestasti , vel quae fecisti a juventute tua usque nunc , cogitando , loquendo , videndo , audiendo , stando , ambulando ? (1) =

Postquam poenitens se reddiderit his culpis culpabilem ; faciat eum dicere istam confessionem . = Confiteor Deo , & omnibus Sanctis , & tibi , Pater , quia multum peccavi in visu , in auditu , in gustu , in odoratu , in tactu : in pedibus , & in manibus meis , & in lingua mea atque in genitalibus membris meis multa mala perpetravi repletus omni iniuitate , malitia , & nequitia . Feci sacrilegium , homicidium , adulterium , falsum testimonium , furtum , rapinam , perjurium : usuras tuli : tenui iracundiam longo tempore : reddidi malum pro bono ; & non solum ista , sed & alia multa mala perpetravi & feci , & facientibus consensi ; ideo precor te , Pater , ora pro me misero peccatore (misera peccatrice . (2) =

ris esse; poenitentia verecundiam , modestiamque conciliari . Provocare in eamdem rem ad experientiam possemus , & ad Scripturarum loca bene multa , quae facile cuivis obvia sunt . Intererat animadvertisse vobis : superiore hortatione gravius nihil ad integritatem Confessionis suadeudam fingi posse .

(1) Apposite noster Ordo . Apposite etiam S. Carolus in suis ad Confessarios monitis , vult eos in id incumbere , che il Penitente confessi chiuda la Confessione chiamandosi in colpa di tutti i peccati confessati , e di altri , che con parole , pensieri , opere , e omissioni ha commesso , de' quali non si ricorda ; aut etiam (liceat addere) quae ignorat esse peccata : ,

(2) Haec confessionis generalis formula totidem verbis e poenitentiali libro Egberti Eboracensis excepta est . Jam vero pleni sunt antiqui Ordines id genus formulis , quarum nonnullae per quam longae . Hae vero non subdebandunt semper distinctae atque enucleatae criminum confessionis : in'erdum etiam praeponobantur . Non una carum causa , ususque . Scilicet erant poenitentibus confessionis veluti archetypum , & ~~μεταριθμητικόν οὐγγράφημα~~ memoriale . Erant praeterea ad informandum humilitatis virtute animatum , levioribusque culpis purgandum mitifice comparata . Plura in hanc rem Moribus postremo cap. lib. VIII , quem locum si tranquillo animo censuret quidam considerissent , non carum formularum usum vellicassent . Nunc vetera

Tunc Sacerdos det illi judicium secundum canones (1), aut secundum quod illi justum visum fuerit (2).

Post haec dicat Sacerdos : „ Misereatur tui omnipotens „ Deus , & dimittat tibi omnia peccata tua praeterita , & „ futura (3) : liberet te ab omni malo: conservet te in omni

disputa , brevissimam vulgatam formulam *Confiteor T.c.* usurparius . Sed priscam illam pro antiquo more nos ipsi laudamus : & majores nostri , si viverent , probarent , certe credo , praesentem Ecclesiae consuetudinem .

(1) Canones nempe poenitentiales , quibus poenitendi modus , conditionesque praescribentur . H. ruti usus prima Ecclesiae saecula attingit . Amortius Can. Reg. Pollinganus horum Canonum historiam a S. Pauli epistolis per plura saecula describit : Vide Tom. III. Theol. Ecclasticae append. I. Porro Sacerdotes accomodate has leges poenitentibus quum non potuerint , nisi perspecta prius , 'prudenterque aestimata peccatorum indole ; an non isti ipsi Canones arcanae confessionis usum necessitatemque demonstrabunt , ac propemodum clamabunt ? Lege paeclarum Petavii argumentum in notis Epiphanianis pag. 245. Specimen horum Canonum habes in Append. nostra p. 33.

(2) Igitur in nostro Ordine , saeculo Ecclesiae XI. poenitentiae imponendae modus Confessarii iudicio permisus esse videtur . Sunt etiam , qui monent : peccatis publicis inflictam eo ipso saeculo poenitentiam , si fieri posset , secundum Canones ; sectatis vero secundum quod justum Sacerdotibus videbatur . At Canonum vis , & justum Sacerdotis arbitrium , quantum video , facile in confessione se creta conciliabantur . Nam ex inspectis pluribus Ordinibus , decretisque Canonicis illius aevi , negari non potest , & viguisse tum Ecclesiae leges , quibus Canonum poenitentialium custodia jubebatur , & aequiter Sapienter Sacerdotibus commissum , ut , distincta personarum conditione , aetate , valitudine : animi quoque alacritate , aut remissione , canonicas poenas attemperarent , commutarent , extenuarent . Atqui id iudicium justum esse debebat . Ergo ad prudentiae , aequitatis , arque ipsorum Canonum jura componi , quantum fieri poterat , debebat . Nonnulla injicere in hunc locum possem de notitia horum Canonum majorem in modum Confessariis profutura ; nisi monita S. Catoli in manibus haberemus , aut non ita facile essent obvia , quae hac de te scripsit Bened. XIV. in aureo opere de Syn. Dioec. Optandum , horum incitamentis Confessarii omnes ut morem gerant Optandum etiam , ni fallor , ut Parochi scepius eosdem Canones in concionibus explicit , distincteque triadant ! Nam illis plerumque presis poenitentium copia tale otium sepe negatum est .

(3) Qui dimittenda peccata ante lapsum ? Esse hoc arbitrari nullus iudicantis , aequi indistinctum . Simile mihi sese obtulit in Theodori capitulis , in Egberti poenitentiali , in Reginonis &

„ opere bono , & perducat te in vitam aeternam . Amen .
 „ Commendamus tibi , Domine Iesu Christe , famulum
 „ tuum , ut ad te toto corde convertatur , & tibi devota
 „ mente deserviat : ut quotidie in omnibus bonis operibus
 „ propter tui nominis amorem perseveret : ut pro delictis
 „ atque facinoribus suis veniam & indulgentiam ei conce-
 „ das : ut sub ope Sanctae Trinitatis tibi deserviat ; cui om-
 „ ne genuflectitur coelestium , terrestrium , & infernorum :
 „ ut cum custodias hic & in praesenti saeculo ; & in futuro
 „ judicio eum ad vitam aeternam perducas . Ille te benedi-
 „ cat , & custodiat , qui de coelis pro peccatoribus in hunc
 „ mundum venit , & det tibi remissionem omnium pecca-
 „ torum , ut hic bene valeas vivere , & propter animam
 „ tuam , vel parentes tuos benefacere , ut in futuro saecu-
 „ lo cum Angelis & Sanctis omnibus consortium habere me-
 „ reas in regnis coelestibus . Amen . Ipse Deus justificet te ,
 „ & aperiat tibi januas paradisi . Ille Deus , qui confregit
 „ portas inferni , ipse tibi dimitat peccata tua , qui digna-
 „ tus fuit latroni dicere in cruce : hodie mecum eris in
 „ paradyso . Ille verus & pius Pastor , & rector , atque gu-
 „ bernator sit semper super te , & te benedicat , & ab om-
 „ ni malo , atque ab omni tribulatione defendat propter
 „ suam pietatem Christus Filius Dei vivi altissimi ; qui vi-
 „ vit . „

„ Alia . Benedicat te Deus Pater , qui te creavit : sa-
 „ net te Dei Filius , qui pro te passus est : illuminet te Spi-
 „ ritus Sanctus , qui in te fusus est : corpus tuum Dominus
 „ benedicat : animam tuam Deus salvet : aures tuas Deus
 „ aperiat : oculos tuos Deus illuminet , & dirigat pedes

Burchardi libris , in poenitentiali Veronensi , a Muratorio edito , in Far-
 sen . (Vid . append .) atque alibi . In Ordine Romano totidem verbis
 legitur haec precatio , ommissis verbis illis *praeterita* , *& futura* . In quo-
 dam Ordine Carthusiensi sic legi : „ a futuris peccatis liberet te , &
 ab omni malo , ; & in hoc ipso nostro codice , ubi agitur de poen-
 tientia extremae unctioni praemittenda , deprecativa absolutio habet
 sic : „ dimittat tibi peccata praeterita , praesentia : de futuris det tibi
 „ custodiā , . Tandem non negavero , vocem illam *futura de de-*
bti seu poenae solutione per peccatum contractae intelligi posse .

„ tuos in viam pacis , & rectam : & omnia tua membra di-
 „ rigat in viam veritatis . Deus , qui benedixit vestigia Pe-
 „ tri & Pauli , ille te benedicat diebus , ac noctibus , ho-
 „ ris , atque momentis , dormientem , vigilantem , sive in
 „ domo , vel foris domo , ubicumque ambulaveris , vel
 „ perrexis : in omni loco sit anima tua benedicta , &
 „ ab omni impugnatione diaboli sit defensa , nec in risu ,
 „ vel in visu , auditu , gustu , odoratu , & tacu , nec dor-
 „ miendo , nec vigilando , vel ambulando diabolus pote-
 „ statem in te habeat ; sed Angelus Dei custodiat te semper
 „ hic , & in aeterna saecula saeculorum . Amen . „

„ Alia . Benedic te Deus Pater : salvet te Deus Fi-
 „ lius : illuminet te Spiritus Sanctus . Corpus tuum dirigit ,
 „ sensum tuum custodiat , cor tuum illuminet , animam tuam
 „ salvet , & ad perpetuam vitam te perducat . Dominus
 „ noster Jesus sit ante te , ut te defendat : sit circa te , ut te
 „ ipse custodiat : sic protegat te , ut te ab omni malo eri-
 „ piat , & salvet . Ille te benedicat de coelis , qui per cru-
 „ cem , & passionem suam totum mundum illuminavit . Ille
 „ te benedicat de coelis , qui tres pueros de camino ignis
 „ ardantis liberavit . Ille te benedicat de coelis , qui Pe-
 „ trum & Paulum benedixit . Ille te benedicat de coelis ,
 „ qui Susannam de falso crimine liberavit . Ipsa te benedi-
 „ cat , cui dixit Angelus : Ave Maria gratia plena . Do-
 „ minus tecum (1). Ipse Angelus Domini super te descendat,
 „ qui & te benedicat die ac nocte (2). Illuminet Dominus cor
 „ tuum , & sensum tuum , & perducat ad vitam aeternam .
 „ Qui vivit . „

„ Absolutio . Omnipotens sempiterne Deus , qui ha-
 „ bet potestatem peccata dimittendi , & qui latroni jam in

(1) Hac prece assequeris , mulcum errare eos , qui docent : Mariae sanctissimae invocationem abesse a liturgicis Ecclesiae precibus ante XIII. saeculum usurpati . Veteriora etiam exempla apud vulgaris liturgiarum rerum tractatores , si libet , consulto . Vid . Othmari ad discip . locut . in App . ad hunc Ord . datam .

(2) Par in errore versantur illi , qui Angelorum invocationem ab eisdem precibus abesse ajunt .

„ cruce suspenso peccata remisit : & Sancto Petro dedit pos-
 „ testatem alligandi , atque solvendi , ipse te absolvat ab
 „ omni peccato hic , & in futuro saeculo . Per omnia ,
 „ Amen . ”

„ Absolutio alia . Omnipotens Deus , qui B. Petro
 „ Apostolo dedit potestatem ligandi , atque solvendi & cete-
 „ ris Apostolis , dicens : quorum remiseritis peccata , re-
 „ mittuntur eis in aeternum ; ipse te absolvat ab omnibus
 „ peccatis , & de istis peccatis , quae modo mihi coram
 „ Deo confessus es , sed & de omnibus , quae a nativitate
 „ tua cogitando , loquendo , aut operando commisisti ; non
 „ reddas de eis rationem per misericordiam Dei in die judi-
 „ cii ; & quando transieris de hoc saeculo , subitanea mors
 „ tibi advenerit , aut impeditus linguâ nullatenus poeniten-
 „ tiam accipere poteris , cum ista poenitentia , quam modo
 „ accepisti , sis absolutus a Deo Patre , & Filio , & Spi-
 „ tu Sancto , & ab omnibus Sanctis ejus , & a me misero
 „ peccatore , ut dimittat tibi Dominus omnia delicta tua , &
 „ perducat Christus ad vitam aeternam . ”

„ Oratio . Nos te suscipimus in missis , & psalmis , &
 „ canticis spiritualibus , & cuncto officio Sacerdotali (1).
 „ Suscipiat Dominus animam tuam , quando exitura est de
 „ hoc saeculo in vitam aeternam : & si in ista traditione ,
 „ vel absolutione tibi mors advenerit , perducat te Christus
 „ Filius Dei vivi ad vitam aeternam , & absolvat te San-
 „ ctus Petrus , & Beatus Michael Archangelus , & nos in
 „ quantum data est nobis potestas ligandi , & solvendi , abso-
 „ lutionem damus , adjuvante Domino nostro Iesu Christo .
 „ Qui vivit , & regnat in saecula saeculorum . ”

„ Oratio . Respiciat ad te Rector aeternus Deus , &
 „ det tibi Angelum ubique custodem , & conservet in te
 „ gratiam , quam perfudit : mentem regat , vias dirigat :
 „ cogitationes sanctas instituat , actus probet , opera con-
 „ firmet , vota perficiat ; praeterita mala indulgeat , piae-
 „ sentia emendet , futura medeatur , ab his , & ab omni-

(1) Sic intellige : Polliceor tibi , o poenitens , me in missis , psal-
 mis , & reliquis precibus peculiarem tui memoriam habiturum ,

„ bus peccatis tuis te eripiat , atque absolvat : & benedi-
 „ cat de coelis qui est dignatus nos visitare in terris ; qui vi-
 „ vit . „

„ Absolutio . In ea potestate , vel auctoritate fiden-
 „ tes , quam Dominus Deus nobis in Beato Petro Apostolo
 „ tribuit , dicens : quaecunque ligaveris super terram ,
 „ erunt ligata & in coelis : & quaeconque solveris super
 „ terram , erunt soluta & in coelis , & quorum retinueritis
 „ peccata , retenta sunt , quantum nobis permisum est ,
 „ ab omni vinculo peccatorum absolvimus : & quidquid vo-
 „ luntate propria , suadente diabolo , commisisti , quantum
 „ possumus , pro divina gratia tibi indulgemus ; ut , fracta ca-
 „ tena omissum delictorum de collo tuo , liber & absolutus
 „ venias ante tribunal Domini nostri Iesu Christi , receptu-
 „ rus ab ipso haereditatem in coelestibus regnis , ubi manens
 „ sine fine laeteris in saecula saeculorum . Amen . (1) ,

(1) Habeant igitur novum hoc monumentum *indicative formae* patroni . Certe haec splendidissima est , atque aetatis multo etiam XI . Saeculo luculentioris saporem haber . Fere in eandem incidi , una nempe , aut altera mutata voculi , Gellonensem Ordinem legens apud Martene mille circiter ab hinc annis conscriptum . Mitto , quod hoc pertinere potest , estque pridem a doctis monitum : non ita facile res gravissimas , qualis haec forma est , illabi in Ritualia , atque in usum hominum repepte potuisse . Mitto etiam similia formae exempla , quae transdidit antiquitas . Nolo tamen unum praeterire , quod frequentius in priscis Ordinibus occurrit , & mihi se obtulit in Rituali Tytensi , seu Vulsinensi Saec . XI . , quem librum ms . apographum servat Biblioteca nostra Bononiensis , autographum vero Bibliotheca Senensis Academiae . Jam in ejus Ordine poenitentiali legitur „ Absolutio . „ Absolvimus te vice S. Petri Apostolorum Antistitis : eius etiam „ vice collata est nobis solvendi atque ligandi potestas , quantum tua „ expedit accusatio , & ad nos pertinet remissio . Sit tibi omnipotens „ Deus Redemptor tuus , vita , & salus , omniumque peccatorum tuo- „ rum pius induktor „ . Frequens etiam in Ordinibus occurrit haec forma : *Vice B. Petri . . . sis absolutus* ; quae verba aequipollent no- strae formae : *Ego te absolvō* ; uti animadvertis Menardus in nota 677 . in lib . Sacr . S. Greg. Papae . Quamquam antiquitatem haec indicative formae mirabitur nemo , qui intellexerit , Romanum Ordinem poenitentialem , atque Egberti Eboraicensis alium summae antiquitatis libros eandem formam continere : ad hosce vero libros Ecclesiis omnibus cognitissimos , ceteros poenitentiales Ordines suis exactos .

„ Dominus custodiat introitum tuum , & exitum tuum
 „ ex hoc , nunc , & usque in saeculum . „
 „ Benedictio Dei Patris Omnipotentis * & Filii *
 „ & Spiritus Sancti * descendat super te . Amen . „

Ordo ad dandam Clericis poenitentiam .

Cum aliquis Clericus venerit peccatum suum confiteri,
 dicat illi Sacerdos , ut se in oratione cum lacrymis proster-
 nat (1) . Deinde incipiat Tertiam : finita horâ , Sacerdos
 jactet se ante Altare , & dicat . „ Pater noster . Et ne nos .
 „ Cap. Proba me Domine , & tenta cor meum . Ure renes
 „ meos & cor meum (ut supra pag. 1.)
 „ Domine Deus omnipotens propitius esto mihi pecca-

Nec juvat deprecative formae patronos silva illa Ordinum , quam
 Morinus congesseit , ut XII. prioribus Ecclesiae saeculis deprecativeam
 obtinuisse quaderet . Nam si titulos , qui reconciliationem poenitentium
 f. v. major. bebdom. praeseferunt , diligentius expenderent , moneren-
 tur , puto , non de Sacramentali , sed de Canonica reconciliatione in illis
 agi . Eo factum est , ut in Pontificali Rom. Clementis VIII. auctorita-
 te recognito , hujusmodi ritus deprecatus plane sit , etsi nemo ne-
 sciat , indicativam formam ea etate in poenitentiae arcanae ministe-
 rio fuisse observatam . Nunc mos iste absolvens ab Rom. Ecclesia
 usurpatus jure novitus a Dallaeo , ejusque sectatoribus appellabitur &
 jure a nonnemine recentiore inobscurabitur ? Tum jure deprecative formae
 patroni (quamquam innocenter id faciunt , non ut illi ad con-
 flandam haeresim) nonnisi medio Saec. XIII. usurpari nostram for-
 main coepit esse affirmabunt ? Miror , haec post tantam copiam lu-
 cemque monumentorum a viris eruditissimis ! Tandem sic existimo :
 etsi non hanc argumentorum vim pro indicative formae antiquitate
 haberemus ; antiquissimam tamen esse censemus , postquam duabus
 postremis Concilii oecumenicis prescripta est . Unde enim rem gra-
 viissimam gravissimi Patres , novitatis hostes , antiquitatis perquam
 studiosi , nisi ab antiquitate acceperunt ? In hanc rem consule omnium
 instar P. Edmund. Simonnetum , qui presse , acute , solideque pro indi-
 cativa forma contra Morinum in sua de forma Sacram. poen. disputat.
 scripsit . Habet eam etiam insertam toni. XI. thesauri Theol. cl. Zacc-
 cariae .

(1) Clerico non obseratur Ecclesiae ostium : non brevis ille flen-
 tium status , qui laico , indicitur . Id discriminis ex eo fortasse digna-
 navit , quod Clerici solemni poenitentiae non subjiciebantur ,

„ tori , ut qui pro peccatoribus & peccata sua confitenti-
 „ bus me indignum inter te et ipsos mediatorem constituisti:
 „ quique mortem peccatorum non vis , sed ut convertantur,
 „ & vivant ; suscipe orationem servi tui , quam ante con-
 „ spectum gloriae tuae pro poenitentiam cupienti famulo
 „ tuo (cupientibus famulis tuis) humiliiter effundo : ut pa-
 „ riter eum (eos) nunc a peccatis eruas , & in futuro ab
 „ omni crimine illaesum (illaesos) custodias . Per . , ,

Postea ducat eum ante Altare , & dicat illi: = Vis agere ,
 frater , poenitentiam ? Resp. Volo . Inter. de toto corde
 tuo ? Resp. de toto corde . Dicat illi : Non sum dignus ego
 tuam suscipere confessionem &c. , , Suscipiat te omnipotens
 „ Deus , & liberet te de omnibus peccatis tuis praeteritis ,
 „ praesentibus , & futuris : illuminet Dominus mentem
 „ tuam Sancto Spiritu : doceat te semper cogitare , loqui ,
 „ & agere , quae illi placita sunt : donet tibi humilitatem
 „ veram , patientiam , charitatem , continentiam , concor-
 „ diam bonam , & discretionem in omnibus bonis , quae sibi
 „ placent : mittat in corde tuo timorem & amorem suum :
 „ liberet te ab omnibus insidiis Diaboli , & faciat te ad vi-
 „ tam aeternam pervenire , , , Inter. Vis esse confessus Do-
 mino Deo omnipotenti , & omnibus Sanctis ejus , & mihi
 indigno Sacerdoti omnia peccata tua , quae in hoc saeculo
 operatus es sive in die , aut in nocte ? Resp. Volo . Inter.
 Promittis te de praeteritis tuis culpis emendare ? Resp.
 Promitto (1) . Et dicat Sacerdos : Dominus sit tibi adjutor
 & protector . Deinde poenitens elevatis oculis , ac manibus
 in coelum dicit tribus vicibus : In manus tuas , Domine ,
 commendo spiritum meum . Tunc suscipiat eum Sacer-
 dos in suas manus , & dicat hunc versuni : „ Suscepimus ,
 „ Deus , misericordiam tuam in medio Templi tui &c. , ,
 (ut supra in poenit. laicali . Sequuntur deinde Litaniae , ac
 Psalmi poenitentiales , quos cantare (2) Sacerdos jubetur). In-

(1) Propositum explicitum .

(2) Ne de canto melodico jussum intelligas , sed de lectione , aut
 recitatione juxta mediae aetatis consuetudinem fortasse ex vulgaris

de praedicet poenitenti , & admoneat , ut a culpis praeteritis se custodiat , a praesentibus , vel futuris caveat . Deinde poenitens dicat hanc confessionem : (1) = Ego peccator volo

alicuius linguae dialecto derivatam . Ita plane noster hic codex cantari a Sacerdote jubet psalmos , quum aegro graviter decubenti extrema unctione administratur . Minus vero incepit (scribit Ant. August. in notis ad Poenitentiale Rom. Tom. III, pag. 192. ed. Lucen.) cum psalmis , & canticis ea vox conjungitur , quam cum orationibus ; hinc poetæ ipsi , quum scribunt carmina , canere dicuntur . Verum communis etiam usu privatissimis significandis ea vox usurpata est : quam in rem exempla collegit Baluzius in notis ad libros Capitularium ; etsi pluris , quam illa omnia , exemplum facio , quod apud Hergottum occurrit in veteri disciplina monastica , ubi caput lxxxvi. constitutionum S. Wilhelmi inscribitur , de privata missa quomodo sit can- „ tanda aut legenda „ scilicet : „ Inde missam incipiens , totum can- „ tum , qui ad eam pertinet , pro edicto patrum nostrorum , magis le- „ ss. gat in directum , quam audeat cantare „ . Eadem occurruunt verba apud Amortium Can. Reg. Polling. in Codice edito in veteri disciplina Canonicor. Regular. & Secular. tom. I. pag. 407. Neque illud , praeterendum : cantus cantandique vocabula pro tacita secretaque lectio interdum usurpata . Hinc Remigius Antisiodorensis super cano- niem missae scribebat : „ Idecirco venit consuetudo in Ecclesia , ut taci- „ te ipsa obsecratio atque consecratio a Sacerdote cantetur , ne verba „ tam sacra vilescerent „ ; quae verba quum retulisset doctiss. Ger- bertus Abbas Silvae nigrae , & S. R. I. Princeps Tom. I. de canu & mus. sacra pag. 362. ed. an. 1774. haec addidit : „ Falluntur tamen , „ qui secretam orationem cantui ita praecise opponi volunt , praeser- „ tim in celebratione missae , ut contra inolitam Ecclesiae consue- „ tudinem contendant . Secreta , ipsumque Canonem alta voce pro- „ nunciandum esse . Cujus assertio falsitatem allatus Remigi lo- „ cus demonstrat , atque antiquissimus Ordo Romanus ad usum mo- „ nasteriorum ab annis haud minus mille accommodatus ; quippe quem „ in antiquissimis MSS. Italiae , Galliae , Germaniae , cum suis ta- „ mei mutationibus reperi , atque idcirco inter monumenta liturgiae „ Alemannicae editurus sum (edidit vir cl.) . . . ubi expresse ora- „ tiones post oblationem dicendae secrete nullo alio audiente recitan- „ dae praescribuntur „ . Postrema haec pro re nata juverint contra homines nostrae aetatis novitatum appetentes .

(1) En exemplum generalis formulae , quam delictorum enumerationi praemittit Clericus . Meniinerimus nunc , eo saeculi squallore , quo hic Ordo scriptus atque usurpatus est , quam late certa quae- dam vitia , ex. gr. perpetuae irae , avaritia Clericorum , incontinentia , etc. grassata sint ; tum in hanc peccatorum tabulam oculos conjicien- tes , vel ex hac ipsa recognoscamus , non propterea Ecclesiae spiti-

confessus esse Deo omnipotenti , & Angelis , & Archangelis , atque Sanctis ejus , & tibi Pater Sacerdos omnia peccata mea , quae ego feci post baptismum meum , & postquam natus sum usque in istam horam . Ego confiteor meas culpas , quia ego miser peccavi in perjuriis multis , & in commessionibus multis , in ebrietatibus multis , & in vomitu . Dicat Sacerdos : Misertus sit tibi omnipotens Deus , & indulget tibi omnia peccata tua . Et ipse dicat . Ego peccavi in detractionibus multis , in invidia , in avaritia , in inobedientia , in otiosis sermonibus multis . Dicat Sacerdos : Indulget tibi Dominus , & misereatur tui . Et ipse dicat : Ego peccavi de meo cursu (1) , de mea psalmodia , & de meo ministerio , quod non custodivi secundum ordinem . Dicat

tum fuisse testinatum . Vitiorum bella in impiorum caput numquam non reciderint . Emarcuerunt illi . Ecclesia vero eadem semper vitiorum debellatrix fuit , acque arque amatrix , reductrixque virtutum .

(1) Divinum officium , quod Breviarium nunc vocamus , *Cursus* apud veteres dicebatur vel a cursu solis ducto vocabulo ; vel quod horariae pteces legendi , aut cantando percurruntur . Gregorius Tuto . lib . I . de gl . Martyrum primus , quem sciam , hac voce horas illas nominavit . Frequens deinde eadem apud alios antiquos autores , praesertim in Galliis . Quae causa fuit , ut Mabillonius in opere de Liturgia Gallicana , quum de divino Officio perageret , disquisitoriem de *Cursu Gallico* inscripsit . In regula S . Benedicti *Opus Dei* passim nuncupantur in illa , quae S . Pachomio tribuitur , *Conlecta* : an compluribus Conciliis *Agenda* . Item *Sacra Synaxis* , quod plures ad eas preces recitandas fideles convenienter . Graecis *Canonem canonicas* horas , a multis iam saeculis , appellare placuit . Jam vero canon proprie mensura est , quam solvere colonus Domino tenerur suo ; sicut quoniam Clerici , ac Monachi tamquam Dei coloni quotidianam hanc mensuram eidem debent ; recte propterea Canon seu mensura horae illae dictae sunt . Ita eadem apud Latinos nonnullas expressae ; uti apud S . Cassianum lib . II . de orat . nocturna , apud S . Columbanum in regula , & apud Concilium Tuto . II . Mihi tamen placeat in primis Tertullianus , qui *Apostolicas* horas illas dixit in suo de Jejuniis libro . Namque ab Apostolis earum institutio profecta est ; contraquam vellent desidiosi quidam nostri aevi homines . Plura , quae antiquum Ecclesiae cursum illustrare possunt , inedita assertantur in nostra bibl . S . Salv . Bonon . , quae silicujus e *Canonicis* assertis studio in lucem , Deo dante , prodibunt ,

Sacerdos : Misereatur tui Deus omnipotens . Et dicat : Ego peccavi de illis poenitentibus , qui ad meam confessionem venerunt , & suas culpas mihi confessi sunt ; quia ego secundum legem non judicavi eos . Dicat Sacerdos : Dominus indulget tibi . Et ipse dicat : Ego peccavi in cupiditate , quia multam recepi eleemosinam (1) , & ex illa plusquam justum fuit , ad opus meum retinui (2) . Sacerdos dicat : Misertus sit tibi omnipotens Dominus . Et dicat : Ego peccavi , quod pollutus accepi Corpus & Sanguinem Christi . Ego peccavi , quod non custodivi sacrificium secundum legem . Sacerdos dicat : Indulget tibi Dominus , & misertus sit tibi . Ego peccavi , quod postquam confessus fui , in ipsas culpas cecidi . Ego peccavi in desideriis alienarum rerum . Sacerdos dicat : Misertus sit tibi omnipotens Deus . Ego peccavi , quod non indulsi illis , qui in me peccaverunt : sed modo dimitto ex toto corde omnibus , qui in me peccaverunt . Sacerdos dicit : Adimpleat Dominus desiderium tuum . Ego peccavi cum oculis meis ; quando speculavi quod non debui , & dimisi (3) speculari quod debui ; inde confiteor meas culpas . Sacerdos dicit : Indulget tibi Deus . Ego peccavi cum ore meo & lingua mea , quia locutus sum quod non debui ,

(1) Avariciae febris vehementer nonnullos Ecclesiae ministros XI. Siæculo corripuerat . Restingui eam , quibuscumque potuit modis , Ecclesia curavit . Lege , quae in hanc rem de vitio eorum hominum , deque Ecclesiae sollicitudine scripsit Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. V. cap. VIII. , atque alibi ; quibus adde insignem Leonis IX. Epistolam ad omnes per Italiam Episcopos datam . Octava ea est in Labbeanæ Concil. editionis Tom. IX.

(2) Ergo Canonicis , qui regulam Apostolicam , communemque vitam profitebantur (vide adnotat.z. p.23.) moderatus peculii usus permettebatur . Proprium id Canonicorum , minus tamen proprie , veteribus interdum dictum est . In antiquo Ordine Officiorum Ecclesiae Senensis a Trombellio Bonon. ed. ann. 1766. sic legitur pag. 487. , „ Deinde frater Canonicus , qui aegrotat , si habuerit proprium , accepit licentia a Praeposito , & ceteris fratribus , sicut mos est , dicens , sponit de cebus suis , . Pari acceptione vox propriis usurpatum in celebri Equitum Jerosolimitanorum Statuto tit. IX. pag. 126. , quamquam ii paupertatis voto teneantur .

(3) Ommissionem significat ,

& dimisi loqui quod debui : & oculos meos illicitos habui ; inde confiteor meas culpas . Sacerdos dicit : Dominus indulget tibi . Ego peccavi , quod non custodivi virginitatem , & castitatem corporis mei , sicut Scriptura me docuit : atque cum manu mea suscitavi semen meum . Perpetravi pollutions multas vigilando , dormiendo ; inde confiteor meas culpas Deo omnipotenti , & Angelis , & Sanctis ejus . Sacerdos dicit : Misereatur tibi Dominus , & indulgeat tibi omnia peccata tua . Ego peccavi cum pedibus meis ambulando , quo ambulare non debui ; inde confiteor meas culpas . Sacerdos dicit : Indulget tibi Dominus . Ego peccavi cum totis membris meis , atque cum alienis membris peccavi : & consensi , quod alii cum membris meis peccarent ; inde confiteor meas culpas . Sacerdos dicit : Deus omnipotens indulget tibi . Ego peccavi cum toto corpore meo , & cum aliis corporibus : & consensi , ut alia corpora peccarent cum corpore meo ; inde confiteor meas culpas de omnibus meis peccatis ; inde me agnosco peccatorem miserum . Sed tu , piissime & clementissime Pater , dignare mihi parcere culpas & peccata mea , (1) quia innumerabilia sunt & aspera nimis ; inde veniam peto a te , Domine J. Christe Fili Dei vivi ; qui regnas in saecula saeculorum . Amen . =

Alia Confessio . = Mea culpa : peccavi nimis : veniam peto a te , Domine Deus omnipotens , pro omnibus culpis , & negligentiarum meis , quas ego peccavi : sive in die , sive in nocte : tam de facto , quam de cogitatu , aut de qualicunque modo adversarius peccare fecit : de manducare , peccavi : de bibere , peccavi : de detrahere , peccavi : de mentiri , peccavi : de multiloquio , peccavi : de cupiditate , peccavi : de avaritia , peccavi : de concupiscentia , peccavi : de jactantia , peccavi : de adulterio , peccavi : de fornicatione , peccavi : de fraude , peccavi : de vanagloria , peccavi : de sacrilegio , peccavi : de somnolentia , peccavi : de

(1) Fides verae absolutionis , non merae declarationis . Sic est , Dallaei ! Sic Eypeli ! Bona illa saecula non caduceatores , non accensores , non praecones , non suuntios , sed vere Iudices Sacerdotes esse existimabant .

libidine , peccavi : de pollutione , peccavi : de maledictionibus , peccavi : de ira , peccavi : de odio , peccavi : de octo vitiis (1) , quae sunt principalia , peccavi : quae infestant humanum genus , peccavi nimis . Ego ore , ego corde , ego opere , ego omnibus vitiis meis coquinatus sum : & quantum Canones , vel regula Apostolorum , et Evangelii (2) , atque regula B. Benedicti praecipiunt (3) , non custodivi . Insuper & mandatum tuum non observavi usque in hanc horam . Unde tibi , omnipotens Deus , confiteor coram hoc sacro Alta-

(1) „ Nunc tibi vero principalia vitia explicabo : id est superbiam & vanam gloriam , invidiam , iram , tristitiam , avaritiam , ventris , ingluviem , luxuriam , . Theod. Cant. in suo cap. XIII. edit. Petiti . Crebro hunc vitiorum censem apud veteres reperias . Vid. Ant. Aug. adnorat. in cap. XVI. Poenit. Rom. to. III. ed. Luc.

(2) Significari his verbis consilia Evangelica , vitamque communem , seu Apostolicam , quam Canonici more majorum prohibebantur , perspicuum est . Porro his regulis continetur eorum vivendi ratio , atque institutum esse essentiale , ut vocant . Nam per adoptatas ab illis vel Augustini , vel Prosperi , vel Eusebii Vercellensis , vel Aquisgranensem &c. leges non novus institutus Canonicus Ordo est , sed priscus ille , qui ab Ecclesiae incunabulis floruit , restitutus . Lege Amortiani in veteri disciplina Canonicor . Regul . & Saecular . part . III . Qua vero ratione emollitus , ac distractus versus Canonicus ordo sit : qua item , maxime per Italiam , restitutus ; qui scire cupiunt , legant doctiss . Card . Garampii dissert . IX . post histor . B. Clarae Arimineus italicio idiomate Romae ed . an . 1755 .

(3) Quorsum in Ordine ad dandam Clericis poenitentiam , Benedictinæ regulæ infractæ accusatio injicitur ? Principio suspicatus sum , Aquisgranensem , aut Chrodogandi regulam ex Benedictina comparatam tere totam , perque Italianam a Canonicis observationem potuisse iis vocibus designari . Volvebam etiam animo , quanto in honore iis saeculis B. Benedicti regula ab ipsis Clericis , atque etiam laicis habita fuerit , sic ut Canonicus veluti codex a Spiritu S. dictatus , & culta ea & observata sit : quod legisse me apud Mabillonum memineram in Saeculis Benedicti quis , atque etiam alibi ; sed memoriā deinde repetens , & ipsis Monachis consulere velle hunc poenitentialem Ordinem , uti mouitum illud prodit superiore pag . 2 . datum : „ adducat „ eum ante Altare si est Presbyter , aut Monachus „ ; me statim recipient , nihil conjecturis illis opus esse constitui , sed accommoda distributione accusationem intelligendam esse : nempe ut Clericus de violatis Canonibus ; Monachus de infracta B. Benedicti regula sese accusent .

ri , & tibi , Sacerdos Dei , omnia peccata mea , quae a Ju-
ventute usque in hanc horam perpetravi , vel feci . Veniam
peto , & culpabilem exinde recognosco me , Christe Salva-
tor mundi ; qui vivis & regnas in saecula saeculorum .
Amen . =

Post haec manifestet si quid *specialiter* vult confiteri (1) :
Deinde Sacerdos judicium illi det , secundum quod illi re-
ctum visum fuerit : & post datum judicium dicat absolutio-
nem : „ Misertus sit tibi omnipotens Deus , & donet tibi
„ indulgentiam , & remissionem omnium peccatorum , per-
„ fectamque emendationem vitiorum tuorum , & tueatur
„ te ab omnibus hostibus tuis visibilibus , & invisibilibus :
„ detque tibi hoc fideliter agere in praesenti saeculo , qua-
„ tenus feliciter valeas ad vitam aeternam pervenire .
„ Amen . ,”

Tunc imponat manum super illius caput (2) , et dicat :
„ Benedicat tibi Deus Pater omnipotens , qui te creavit in
„ carne . Sanet te Deus Filius , qui propter te passus est
„ in cruce . Illuminet te Deus Spiritus Sanctus , qui in te fu-
„ sis est in baptismo . Sanet te Sancta Trinitas , & Unitas
„ excelsa omni satietate (3) perpetua : corpus tuum irradiet,
„ sensum tuum dirigat , & ad supernam gloriam te perdu-
„ cat . Omnes Sancti Angeli , et Archangeli , Patriarchae,
„ & Prophetae , Apostoli , & Martyres , Confessores , et
„ Virgines intercedant pro te ad Dominum nostrum Jesum
„ Christum : & omnes benedictiones ejus , quae scriptae
„ sunt in veteri , & in novo testamento in te descendant ,
„ teque defendant , ut habeas hic centuplum , & vitam
„ aeternam possideas , ab omni dolore , & ab omni tribula-

(1) Haec verba aliam a memorata generali confessionem postu-
lant : distinctam scilicet atque eucaleatam criminum partitorum .

(2) Impositio manuum mera Sacramenti poenitentiae caeremonia
est V. s. Th. 111. par. q. 84. a. 4. Nunc in Rituali Rom. praecipitur,
ut Confessarius , dextera versus poenitentem elevata , dicat : *Indul-
gentiam &c.*

(3) *Sancte legit aptius Poenitentialis apud Muratorium ; nescio an Bobiensis , an aliud ; nam ex duobus unum arbitratu suo ipse Mutato-
gius fabricavit .*

(25)

„ tione & angustia , atque peccato eripiat te Christus Filius
„ Dei ; qui cum Patre , & Spiritu Sancto „ .

„ Alia . Benedicat te Deus coeli , adjuvet te Christus
„ Filius Dei vivi , illuminet te Spiritus Sanctus : corpus tuum
„ in servitio suo custodire , & conservare Deus faciat die-
„ bus , ac noctibus , mentem tuam illuminet , gratiam ad
„ profectum animae tuae in te augeat : ab omni malo te li-
„ beret : dextera sancta sua te protegat ac defendat : qui
„ Sanctos suos semper adjuvat , ipse te adjuvare & consolari
„ dignetur hic in praesenti vita , & in futura . Amen . „ .

„ Benedicat te Dominus , et custodiat te : ostendat fa-
„ ciem suam tibi , et misereatur tui : convertat Dominus vul-
„ tum suum ad te , & det tibi pacem ; qui vivit & regnat . „ .

Absolutio . „ In ea potestate (require retro & alias
„ absolutiones in laic. poenit.) „ .

MISSA PRO PØNITENTE (1) :

Mis ppenitente . Miserevis
omnium domine / cu ni chil odisti eorum
que fechili discimus lans peccata ho mi nū
ppier peni teni am et par ce ns illis
qui a tu es de minis de fā no ner
p Mis mei dī t gla euovadē

(1) Do specimen notularum musicarum nostri Codicis (Bononii ad me missum a cl. Mingarellio nostro). Antiquissimae eae sunt , & praecedunt tempora Guidonis Arethi . Simillimae nostis sunt eae ,

(1) Oratio : Omnipotens sempiterne Deus , qui secundum magnam misericordiam tuam peccata poenitentium deiles , & in te sperantium , celeri pietate succurre famulo tuo Ill. : quaesumus , remissionem tribue peccatorum , & vota placatus assumie : renova in eum , piissime Pater , quidquid terrena fragilitate corruptum est , quidquid diabolica immissione violatum est : miserere , Domine , gemituum ejus : miserere lacrymarum , ut de moerore in gaudium per tuam misericordiam transferatur . Per &c.

Lectio Isaiae Prophetae . Haec dicit Dominus : lava-
mini : mundi estote &c. usque ad bona terrae comedetis ; di-
cit Dom. omnipotens .

Graduale (2) . Miserere mei Deus , miserere mei ,
quoniam in te confidit anima . Misit de coelo , & libera-
vit me : dedit in opprobrium conculcantes me . Alleluja .
¶ Salvum fac servum tuum , Deus meus sperantem in te .
Alleluja . ¶ Deus judex justus , et patiens numquid irascitur
per singulos dies ?

quibus respersus est Gradalis liber antiquissimus Angelicae biblioth. ,
qua de re consului P. Augustinon Georgium Augustinianae familiae
ornamentum . De hoc gradali libro sic Jo. Bapt. Donius diss. de mus.
sacra in Lyra Barberina tom. I. pag. 272. : „ Quod pertinet ad Gre-
gorianum cantum , egtegium illius monumentum , ac fortasse uni-
cum superest (non ita : namque alia supersunt) in biblioth. Augu-
stin. hujus Urbis ; codex videlicet antiquissimus , Graduate inscri-
bitur , & Gregorianae aetati , ut adparet , vel suppar , vel paullo
recentior ; in quo sacrarum modulationum magna pars ... notis con-
ceptae vetustissimis , & longe ab iis , quae vel aetate nostra , vel
Guidoniano saeculo frequentabantur , diversis &c. „ . De notulis
id genus Trombellius egit in libro , quem de codicem aetate distin-
guenda scripsit . Vide etiam praeclarum P. Martinii opus de musica ,
& cl. Gerberti Abbatis Silvae nigrae elaboratos libros de cantu & mu-
sica sacra .

(1) Hae missae exactae sunt ad normam plurimarum , quae prostane
in Sacramentariis Rom. Ecclesiae . Nemo negaverit , fuisse has cele-
bratas , ut fructus , quem speciem vocant , poenitentis esset , cuius no-
minis perpetua inter orandum a Sacerdotio mentio instituebatur . Scio
in invidiam has missas adduci ab nonnullis ; sed nac illi peccant vele-
menter in sacram antiquitatem , in ipsumque Missae Canonem antiquis-
simum ; quod ipse Muratorius affirmat diss. LXVIII.

(2) Cum iisdem notis musicis vetustissimis .

(27)

Matth. (1) In illo (tempore) vidit Jesus publicanum nomine Levi sedentem ad thelonium , & ait illi : seque- re me . Et , relictis illis omnibus , surgens secutus est eum . Et fecit convivium magnum Levi in domo sua , & erat turba multa publicanorum , & illorum qui cum illis erant discubentes . Et murmurabant Pharisei , et Scribæ eo- rum dicentes ad discipulos suos (2) : Quare cum publicanis , & peccatoribus manducatis , & bibitis ? Et respondens Jesus dixit ad illos : non egent , qui sani sunt , medico , sed qui male habent . Non veni vocare justos , sed peccatores ad poenitentiam .

Offert . Miserere mihi , Domine , secundum magnam misericordiam tuam : dele , Domine , iniquitatem meam .

Secret . Deus omnipotens , Deus misericors , Deus clemens , qui indulgentiam tuam nulla temporum lege conclu- dis : suscipe preces & hostias , quas tibi pro indulgentia famuli tui Ill. deferimus , ut & peccatorum veniam ei mi- sericors largiaris , & cordis ejus recta desideria implere di- gneris . Per &c.

Comm . Dico vobis : gaudium est Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente .

Postcomm . Deus , qui misericordiae tuae petentibus auxilia ; & prospera tribuis , & adversa depellis ; universa obstacula , quae famulo tuo (famulae tuae) Ill. , adversan- tur , expugna , ut remotis tentationibus universis , indefes- sa gratiarum actione te laudare mereatur . Per &c.

MISSA IN RECONCILIATIONE POENITENTIS .

O Mnipotens , & misericors Deus , qui peccatorum in- dulgentiam in confessione celeri posuisti : succurre fa- mulo tuo Ill. , ut quem catena constringit vitiorum , magni- tudo tuae pietatis absolvat . Per .

(1) Evangelium Matthæi . Notandum tamen : Evangelii faciem , quæ hic exhibetur , majore ex parte desumptam esse ex Lucas V. v. 27. seqq.

(2) Eius Lucæ v. 30. Matth. v. 11.

Secreta. Respice , quae sumus Domine , ad preces famuli tui Ill. , qui se tibi corde , & mente peccasse graviter , confitetur : & praesta , ut per oblationem tui Corporis , & Sanguinis , quam tibi pro ipso offerimus , ei veniam impetrare valeamus . Per .

Postcom. Refecti , Domine , donis tuis te supplices exoramus , ut converso famulo tuo Ill. ad viam justitiae fontem lacrymarum largiaris , & ne ultra lugenda committat .

ITEM MISSA PRÓ POENITENTE.

SI iniquitates observaveris Domine , Domine quis sustinabit ? Quia apud te propitiatio est , Deus noster . Psalm. De profundis .

Orat. Deus , qui justificas impium , & non vis mortem peccatorum , majestatem tuam suppliciter deprecamur , ut famulum tuum (famulam tuam) Ill. de tua misericordia confidentem coelesti protegas benignus auxilio , & assidua protectione conserves ; ut tibi jugiter famuletur , & nullis temptationibus a te separetur . Per .

Lectio ad Galatas . Fratres , si praeoccupatus fuerit homō in aliquo &c. usque ad sic adimplebitis legem Christi .

Graduale (1). Propitius esto Domine in peccatis nostris , ne quando dicant gentes : ubi est Deus eorum . ¶ Adjuva nos Deus salutaris noster , & propter honorem nominis tui , Domine , libera nos . Alleluja (2) . Deus judex justus . (ut supra) .

Secundum Lucam . In illo &c. erah adpropinquantes ad Jesum publicani , & peccatores , ut audirent illum ; & murmurabant &c. usque ad qui non indigent poenitentiā . Per .

(1) Cum notis musicis , ut antea .

(2) „ Ceterum , ne quis cum in antiquis codicibus MSS. unicum Alleluia cum suo Versu animadverterit , putet semel dumtaxat olim in Missa cantatum ; noverit propterea unicum haberi Alleluia , quia id ipsum iisdemque musicis notis & semel & iterum & tertio etiam recanteretur „ . Ven. Card. Thomasius sub nomine Cari in antiqu. lib. Missarum Romanae Eccl. Tom. V. pag. xxviii . opp. ed. Vezzosi .

(29)

Offert. In te speravi , Domine ; dixi : tu es Deus
meus : in manibus tuis tempora mea .

Secr. Suscipe , clementissime Pater , hostias placatio-
nis & laudis , quas ego peccator , & indignus tuus famulus
tibi offerre praesumo ad honorem & gloriam nominis tui , &
pro incolumitate famuli tui Ill. , ut omnium delictorum suo-
rum veniam consequi mereatur . Per .

Comm. Ab occultis meis munda me , Domine , & ab
alienis parce servo tuo .

Postcom. Purifcent nos , quaesumus Domine , Sacra-
menta , quae sumpsimus , & famulum tuum Ill. ab omni cul-
pa liberum esse concede , ut qui reatu conscientiae suae con-
stringitur , de colestis remedii plenitudine glorietur . Per .



• A P P E N D I X

*Othmari Allocutio de Confessione
ex Cod. perg. Mon. S. Galli.*

Othmarus ad Discipulos. Quando volueris confessio-
nem facere , noli erubescere , quia inde venit indulgentia ,
quia sine confessione non est indulgentia (*haec ratio , o Dal-
lacie , non Monachos attingit tantum , sed fideles omnes*).
In primis prosterne te humiliter in conspectu Dei in terra ad
orationem , & roga Dominum Deum omnipotentem , &
B. Mariam (*notent Haeretici Mariae SS. invocationem in li-
turgicis Ecclesiae precibus multo ante suum sacculum XIII.
usurpati*), cum Sanctis Apostolis , & Martyribus , & Con-
fessoribus , ut ipsi intercedant pro te , ut Dominus omni-
potens dignetur tibi dare sapientiam perfectam , & intelligen-
tiā veram ad confitendum peccata tua . Et postea surge
cum fiducia , & vera credulitate dic illo servo Dei , quem
confessus es : Domino Deo omnipotenti confessus sum
& Sanctis suis , & tibi Dei misso (*audis , haeretice ? Non
misso Ecclesiae , sed Dei*), quae feci : ex quo sapere inci-
pi , in verbo , & in cogitatione , & in opere , aut in juramen-
tis , & perjuriis , aut maledictis , & detractionibus , aut
otiosis sermonibus , & per odium , vel iram , aut per invi-
diā , & concupiscentiam gulæ , aut per somnolentiam ,
aut in sordidis cogitationibus , aut in concupiscentia oculo-
rum , aut per voluptuosam aurium delectationem , aut pro
asperitatē paupertum , & tarde Christum in carcere visitavi ,
& peregrinos negligenter excepti , & secundum promissio-
nem nostram baptismo hospitibus pedes lavare neglexi ,
(*nota baptismum pro aqua : nota etiam praeclarum hospita-
litatis propositum apud monachos*) , & infirmos tardius ,
quam oportet , visitavi ; . . . et Ecclesia jejunante prandire
volui Quod aut psallendo , aut orando aliquoties aliud ,
quam oportet , cogitavi , & in conviviis meis non ea sem-
per , quae sancta sunt , sed aliquoties , quae luxuriosa , vel
detractiones locutus fui : & confessus sum tibi incredulitatem

meam , quod fui sacrilegus , quod furavi , quod in sacro altare juravi , quod homicidium feci , & raptus fui ; & falsum testimonium dixi , & in malis , & in membris meis in concupiscentiam malorum phantasmatum me coinquinavi , & quod cum oculis meis vidi , quod mihi licitum non fuit , & quod cum auribus meis audivi , quod mihi licitum non fuit , aut audire neglexi , quod praeceptum est , aut ore locutus fui , quod licitum non fuit , aut silui , quod loqui debui & quod volens , aut nolens , aut sciens , aut insciens contra Dei voluntatem cogitavi , aut locutus fui , vel operatus ; omnia fiant in pura confessione . Domino Deo omnipotenti confessus sum , & tibi Dei amico , & Sacerdote , & rogo te cum humilitate , ut digneris orare pro me infelice , & indigno , ut mihi dignetur pro sua misericordia Dominus dare indulgentiam peccatorum meorum .

*Ordo ad dandam Poenitentiam , ac reconciliandos
Poenitentes .*

*Ex nobilissimo Ritual. ined. Velerino XI. Saec. apud Emissum
Card. Borgia (vid. monitum ad Lectorem init. hujus lib.).*

Cum aliquis venerit ad Sacerdotem confiteri peccata sua , dicat apud se Sacerdos orationem hanc :

Domine Deus omnipotens propitius esto etc. (ut apud Morinum de antiq. Poenitent. pag. 13. variae Lectiones . Ut me pro peccantibus . Pro famulo tuo ante conspectum gloriae tuae poenitere cupienti effundo , ut pariter eum . Crimine illaesum) .

De hinc interroget eum diligenter , si recte credit , & ne forte alicui iram , vel odium teneat , & si vult parcere iis , qui in se peccaverunt , & si vult abstinere a peccatis , quae hactenus gessit , & emendare , si quid alicui abstulit . Et cum promiserit haec omnia se facturum , tunc canat Sacerdos Psalmum hunc :

Benedic. anima mea Dominum , & omnia usque Renovabitur sicut aquilae &c.

De hinc dicat Orationem hanc :

Deus , sub cujus oculis omne cor &c. (ut apud Martene T. 2. de antiq. Ecclesiae Ritib. pag. 45.).

Sequitur .

Precor Domine clementiam &c. (ut apud Morinum loco laud. pag. 23.).

De hinc faciat eum confiteri peccata sua . Deinde interroget eum , quale ministerium facit . Et si est comes , aut judex , dicat illi , ut non accipiat praemia , non judicet injuste . Si est escarius (*nempe cellarius , cui scilicet potus , & escae cura est*), non teneat annonam etc. (ut apud Martene Tom. 2. laud. pag. 90. usque ad verba : *Et ei omnia peccata dimittet , tantum si emendaverit*).

Tunc dicat Sacerdos :

Christus Filius Dei , qui scit fragilitatem &c. (ut apud Morinum loco laud. pag. 25. Varian. lectio . Cogitando , vel delectando , loquendo).

Indulgentiam , & absolutionem , & remissionem omnium peccatorum tuorum , & spatiu verae poenitentiae tribuat tibi omnipotens , & misericors Dominus . Be. Amen .

Kyrie , Christe , Kyrie . Pater noster .

Capitula .

Domine non secundum &c. (ut apud Morin. ibidem usque ad verba : *Et clamor meus*).

Oratio .

Exaudi Domine preces nostras &c. (ut ibidem).

Oratio .

Domine Deus noster , qui offensione nostra &c. (ut ibidem).

Oratio .

Adsit , quæsumus Domine , huic Famulo &c. (ut ibidem).

Alia .

Precamur Te Domine , ut intercedentibus &c. (ut ibidem).

Alia Oratio .

Praesta Domine huic famulo tuo &c. (ut apud Martene Tom. 2. de antiq. Eccles. Ritib. pag. 41.).

Ordo ad dandam poenitentiam.

(Ex Cod. MS. Saec. XI., spectante olim ad monasterium S. Angeli de Cajeta , nunc existente in bibliotheca Farfensi sign. litt. R. , in 4. , in quo continetur regula S. Benedicti , missa pro peccatis , Kalendarium , & cetera , tum ad pag. 44. habetur Ordo ad visitandum infirmum , quem excipit ad pag. 45. Ordo ad dagdam poenitentiam).

Sac. Vis agere veram poenitentiam ? Res . Volo . Sac. Dominus dicit in Evangelio : Si non remiseritis hominibus peccata eorum , non remittentur vobis peccata vestra , & si dimiseritis , dimittentur vobis . It. Sac. Tu homo , qui confiteris Domino Deo tuo , intellige peccata , quae sunt projicienda ; & projice a te ; ut possis in vitam aeternam coram Deo , & cum omnibus Sanctis gaudere ; hoc est mala cogitatio , otiosus sermo , invidia , detractio , maledictio , murmuratio , cupiditas rei alienae , vanagloria , iracundia in longo tempore , avaritia , falsum testimonium , gula , ebrietas . Fuisti negligens de sacrificio per vomitum ? Furasti sacras reliquias Sanctorum pro cupiditate terrena ? Maledixisti Patri , vel Matri ? Rapuisti res alienas ? Fuisti infidelis seniori tuo ? Fecisti adulterium cum consanguinea tua , aut cum alia ? Fecisti opera in die Dominicu ? Perdidisti Missam in festivitatibus Sanctorum , aut in die Dominicu ? Fecisti sacrilegium , idest de domo Dei aliquid furatus es ? Fecisti incendium ? Fecisti homicidium , aut voluisti , aut consensisti , aut adjuvisti ? Postquam tuam uxorem habuisti , fornicatus es cum alia ? Memor esto facinorum tuorum , & dic mihi : jejunasti bene in quadragesima , & in quatuor temporibus anni , vigiliis Apostolorum , vigiliae Sanctae Mariae , vigilia omnium Sanctorum ? Jurasti ad evangelium seu in altare , vel in cruce consecrata , aut in manu Sacerdotis ? Si fecisti , & hoc non observasti , III. ann. poen. Si maledixisti per furem , habuisti invidiam , fuisti detrac tor , dixisti verba otiosa , VII. dies poen. Habuisti odium in quemlibet , quantos dies fuisti permanens , tantos dies

poeniteas . Habuisti concupiscentiam de causa , quam non
 licuit , cogitasti quod non debuisti , VII. dies poen. Si stan-
 do in Ecclesia audiens sacras lectiones locutus es saecularia ,
 vel otiosa verba , XX. dies poen. Si fecisti ligaturas , aut
 incantationes , III. ann. poen. Fecisti adulterium cum mu-
 liere aliena , aut cum vidua , aut cum sanctimoniali , aut
 cum meretrice , VII. ann. poen. Presbyter , XII. ann. poen.,
 Diaconus , & Monachus , X. Clericus , & Laicus , VII. Fe-
 cisti homicidium voluntarie , VII. ann. poen. Si sine volun-
 tate , III. ann. , si in bello cum Rege , XL. dies . Si quis fu-
 raverit bovem , equum , aut frergerit domum , III. ann. De
 falso testimonio VII. ann. De virgine VII. ann. aut marito
 eam cum tuo expendio vel dote tradas . Si non diem Domi-
 nicum observasti , aut comedisti furtum , vel morticinum ,
 VII. dies . Trigamus , vel bigamus ; V. ann. Judicasti cuili-
 bet non rectum , XL. dies . Si vomisti per ebrietatem , VII.
 dies . Nupsisti cum muliere retro , XL. dies . Si per consue-
 tudinem , VII. ann. Incendisti aream , vel domum plenam ,
 VII. ann. Si te coinquinasti quounque modo , quantos dies
 fecisti , tantos dies poen. Si qua mulier necat partum suum
 ante XL. dies , I. an. poen. , si autem post XL. dies III. ann.
 Mulier si duobus fratribus nupserit , VII. ann. Mulier , si in-
 fantem suum oppresserit , & paganus (*Pagani interdum*
appellabantur infantes , quorum certis ex causis differe-
batur baptismus) fuerit , VII. ann. Si baptizatus , III. ann.
 Si quis fornicaverit , ut Sodomitae , Episcopus XXV.
 ann. , V. in pane & aqua , & ab omni officio depona-
 tur , & peregrinando finiat vitam suam . Si autem senex
 & aeger fuerit , carceribus tenebrarum reclusus poe-
 niteat omnibus diebus vitae suaे . Presbyter , XV. ann. ,
 V. in pane & aqua , & deponatur . Diaconus , & Monachus .
 X. , III. in pane & aqua . Clericus & Laicus , VII. , II. in
 pane & aqua , & omnes hi a vino , & carne se abstineant ,
 nisi infirmitas acciderit . Qui cum cognata , aut cum sorore ,
 aut cum commatre fornicaverit , Episcopus , XV. annis ,
 Presbyter , XII. , Diaconus , & Monachus , X. , Clericus ,
 & Laicus , VII. , omnes hi III. in pane , & aqua . Si cum

(35)

animalibus coquinatus fuerit , XX. ann. poen. Falsi testes a communione priventur , donec resipiscant . Si quis Clericum occiderit , arma relinquat , & Deo serviat . Si quis maleficio suo aliquem occiderit , VII. ann. Cujus parvulus per negligentiam sine baptismo moritur , III. ann. Infirmus & paganus commendandus est Presbytero ; si per ejus culpam sine baptismo moritur , deponatur . Si qua mulier invenierit juxta se infantem mortuum , & tenet , ut per eam mortuus non fuisset , jejunet hebdomadas IIII. Si qua mulier posuit infantem in cuna , sive in alio loco , & invenerit eum mortuum , non est mulier de hoc facto culpanda .

Tunc dicat poenitens .

Peccavi , Domine , peccavi , miserere mei , quia pondera peccatorum me gravant , non valeo surgere , nisi tu , qui pius & misericors es , jubeas . Exsurge , Domine , adjuva me , & libera me propter nomen tuum .

Tunc prosternat se in terram , & dicat .

Mea culpa , mea culpa ; multa sunt , Domine , peccata mea , quae dinumerare non possum , in quibus peccavi , cogitando , loquendo , operando ; propterea , precor te , ora pro me ad Dominum Deum nostrum .

Misereatur tibi omnipotens Deus , indulgeat tibi universa delicta tua , praeterita , praesentia , & futura , libret te ab omni malo , confirmet te in omni opere bono , & ad vitam una cum Sanctis suis perducat aeternam . Amen . Intercedente pro te beata , & gloria , semperque Virgine Dei genitrici Maria , & beato Petro principe Apostolorum , qui habet potestatem ligandi , atque solvendi , & omnibus Sanctis , absolvat te Christus ab omnibus peccatis tuis , & constituat te consortem Sanctorum in vitam aeternam . Amen .

Confiteor tibi , Domine pater coeli , & terrae , tibi que benignissime Jesu cum Spiritu Sancto coram Sanctis Aa-

gellis tuis , & coram praesenti altario tuo , & coram hoc Sa-
 cerdote tuo , quia in peccatis nutritus , & in peccatis post
 baptismum usque ad hanc horam sum conversatus . Confi-
 teor etiam , quia peccavi nimis in superbia , tam visibili ,
 quam invisibili , in inani gloria , in extollentia , tam ocu-
 lorum , quam vestium , & omnium actuum meorum , in
 invidia , in odio , in avaritia tam honoris , quam pecuniae ,
 in ira , in tristitia injusta , in acedia , in ventris ingluvie ,
 in commessionibus , in ebrietate , in fabulis otiosis , in
 osculis , in amplexibus illicitis , in fluxu semipis mei dor-
 miendo , sive vigilando , sive concupiscentiis malis , in luxu-
 ria sodomitica , in femoribus , in genitalibus meis , & in
 omni genere fornicationis , in adulteriis , quae ego feci , &
 aliis facientibus consensi , in sacrilegiis , in perjuriis , in fur-
 tis , in rapinis , in homicidiis omni modo operatis , fidem ,
 spem , & charitatem minime habendo , vel sperando , in
 accipiendo Corpus , & Sanguinem Domini semper indigne ,
 in exhortationibus & adulationibus malignis , in ignorantia ,
 in negligentia , in subreptionibus , in dandis , & accipiendis
 muneribus & usuris , in praelationibus , in dispensandis , &
 distrahendis male rebus ecclesiasticis , in substrahendis elec-
 mosinis , in pauperibus exasperandis , in hospitalitatibus , &
 receptionibus pauperum , in despectione propinquorum , in
 oppressione pauperum , in afflxione gregis mihi commissi ,
 non visitando etiam infirmos fratres meos , sed neglectui ha-
 bui eos secundum (*contra*) evangelicum praeceptum , in car-
 cere positos non visitando , non mortuos sepeliendo , non pau-
 peres vestiendo , non esurientes recreando , non sitientes po-
 tando , solemnitatibus Sanctorum , & Dominicis , ac festivis
 diebus celebrationem debitam , & honorem non impenden-
 do , nec sobrie , ac caste in eis vivendo , mihi suadentibus
 malum consentiendo , potentibus , potius quam adjuvando ,
 nocendo , nec miscredernt audiendo , propinquis , nec non
 praelatis , ac subditis detrahendo , amicis , & benefactori-
 bus meis fidem non servando , conscientiam mundam intuen-
 do , in ecclesiam Dei superbe intrando , stando , resisten-
 do , & egrediendo , otiosis fabulis , ac turpibus colloquiis in

ea cum aliis insistendo , vasa sancta , ac ministerium sanctum polluto corde , & manibus immundis tangendo , orationem , & psalmodiam , atque officium divinum in ecclesia Dei negligenter faciendo , & audiendo , in cogitationibus etiam pessimis , in meditationibus perversis , in suspicionibus falsis , in iudiciis temerariis , in consensu malo , & consilio iniquo , in concupiscentia carnali , & delectatione , ac pollutione immunda , in verbis otiosis , & superfluis , luxuriosis , atque contumeliosis , in mendaciis , in falsitatis , in juramentis multis modis & diversis , in detractionibus assiduis , in rixis , ac discordiis seminandis , in irrisionebus , in otiositate , in temptatione , in aemulatione , in dolositate , in malignitate , in susurratione , in inani laetitia , in omni malo linguae , in murmurationibus , in blasphemias , in scurrilitatibus , in cachinnis , in sonnolentias , in maledictis , in convitiis , in turpiloquiis , in insultationibus , in dissimulatione , in vigiliis Deo contrariis , in transgressione praceptorum Dei , negligentia proposita mihi in dilectione Dei , ac proximi , in visu , auditu , gustu , odoratu , & tactu superfluo , & immundo , & omnimoda cogitatione , loquitione , voluntate , & actione perditus sum , quum in his & in omnibus aliis vitiis , quibus cum humana fragilitas contra Deum & creatorem meum aut cogitando , aut loquendo , aut operando , aut delectando , aut concupiscendo peccare potest , in omnibus me peccasse , & reum in conspectu Dei super omnes homines esse cognosco , & confiteor ; & ideo supplico vos omnes , Sancti Angeli , atque omnes Sancti Dei , & te , venerande Sacerdos , in quorum conspectu haec omnia confessus sum , ut testes mihi sitis in die iudicii contra hostem diabolum , ut (forte ~~ea~~) omnia me confessum fuisse . Obnixe etiam te , Sacerdos Dei , exposco , ut intercedas pro me , & pro peccatis meis ad Dominum Deum nostrum , quatenus de his , & aliis omnibus sceleribus meis veniam , & indulgentiam per merita , & intercessionem omnium Sanctorum assequi merear , ut non gaudeat de me iniuricus meus , & non glorietur adversus me in die iudicii , dicens , peccata , & sclera mea me tacuisse , & confes-

non non fuisse ; sed sit gaudium in coelo de me , sicut Dominus in evangelio dixit de uno peccatore poenitentiam agente .

Tunc dicat Sacerdos .

Tu homo, qui mihi confessus es peccata tua coram Deo, & omnibus Sanctis , qui fidem Sanctae Trinitatis , & remissionem peccatorum credis , in hac potestate ligandi , atque solvendi , quam tradidit Deus beato Petro Apostolo , aliisque Apostolis , & quae pertinet ad successores illorum Pontifices , & Sacerdotes (*En , unde potestas , quam Dallaenus praetoriam per amarulentiam vocat*), & tantum quantum nobis concessum est , & de his peccatis un (ita in codice ; an *maice* ?) mihi confessus es , absolutus sis per misericordiam Dei , ut diabolus tibi nec nocere , nec te dampnare possit , sed virtus Christi habitet in te , protegatque te omnibus diebus vitae tuae , & postquam discesseris ab hoc saeculo , suscipiat te Christus in gloria coelesti , & in consortio Sanctorum . Qui cum Patre .

